



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Liber III. De Absolutione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Respondeo remanens absolutum. Sic Suarez de Censuris disputat. 10. sect. 2. §. in quo cessat, Ratio est, quia in illo, absolvo te à peccatis, involvitur absolutio à quocumque vinculo nato ex peccatis, atque à censuris: cum igitur ejusmodi Confessor supponatur velle licite fungi suo munere, supponatur etiam ab eo censuræ vinculo absolvi: multoque magis id erit in illo articulo mortis, si tunc expressè absolvens intendat per illa verba sola, absolvo te à peccatis, absolvi te etiam à censuris. Ad majorem autem certitudinem sic absolvat: Absolvo te ab omnibus censuris & peccatis: quia certum est illud, ego te absolvo, sufficere ad absolutionem peccatorum: quod non est ita certum, licet sit probabilissimum, sufficere etiam ad absolutionem censurarum.

LIBER TERTIVS.

DE ABSOLUTIONE.

CAPVT PRIMVM.

De forma absolutionis.

§. I. Forma ordinaria absolutionis.



MANUEL SÀ V. Absolutio n. 1. sic rectè habet. Absolutio is verba necessaria sunt Absolvo te: dicendum tamen, n. est in usu Ego te absolvo à peccatis tuis. Quin etiam imitandus sapientium mos, qui ita absolvens post auditam Confessionem, & impenitentiam: Misereatur tui Omnipotens Deus & dimisit peccatis tuis perducit te in vitam æternam: Amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo: Primum à sententia excommunicationis, in quantum possum & indiges: Deinde te absolvo à peccatis tuis, In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beate Mariæ, & omnium Sanctorum & quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris; sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & exaltandæ vitæ æternæ. Amen: hæc ille.

1. Nonnulli cum Joseph de Augustino in brevi notitia, in fine libri in hunc modum & quiddam ritè proferunt. Et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges, & quæ sequuntur. Notant autem, quod si penitens non fuerit Clericus; omittitur illud verbum suspensionis.

2. Quem effectum habeat prædicta forma verborum, colligere facile poteris ex supradictis lib. 2. c. 10. à n. 55.

§. II. Forma Absolutionis in necessitate, & brevibus Confessionibus.

4. Vrgente periculo mortis, vel necessitatis, sic Absolvo ex Sà loc. cit. Ego te absolvo à peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. vel ex Joseph de August. citato: Ego te absolvo a b omnibus censuris & peccatis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

5. In brevibus item Confessionibus ut illorum qui sæpe confitentur, immo & in longioribus frequentis populi qui aures Confessoris petit; præstat formam prædictam verba necessaria continentem, proferre dumtaxat. Sic Sà ibid.

CAPVT II.

Qua ratione Confessor peccatorum meminisse debeat, quando ea absolvit.

6. Poteest frequenter contingere, ut sive propter Confessionem valde longam, sive quia necesse fuit absolutionem per aliquot differre dies, ut quando impendenda sit absolutio, Confessor obliuiscatur peccatorum penitentis. Quæritur ergo quid in hoc casu erit agendum?

7. Communis doctrina habet duo. Primò, quod non oportet ante absolutionem, nunc v. g. dandam repetere confessionem alio tempore factam, si idem Confessor (nam si aliter, debere repeti certum est. Quidquid dicant nonnulli quos affert, sed non sequitur Ferrantinus 1. de scand. q. 79. à n. 14.) recordetur vel peccatorum vel status penitentis, vel penitentia impositæ: sed sufficit, si uno verbo se penitens accuset de omnibus quæ prius dixerat, addendo alia si forte de novo occurrant addenda. Ita Suarez de pen. disp. 22. sect. 6. in fine Coninch. disp. 7. dub. 11. Ratio est, quia hæc sufficient ad legitimum iudicium ferendum.

8. Immo si Confessor penitentiam jam imposuerat penitenti: nec est necesse quod meminerit peccatorum, ut dictum est, nec ipsius penitentia impositæ: cum satis sit ex Suar. ibid. recordari illum fuisse confessum, dignumque iudicatum, qui absolveretur: penitentiam, quæcumque fuerit, jam fuisse datam: nec ipsum aliquod novum commississe peccatum: vel si commiserit, ritè nunc aperuisse: tunc enim poterit, nullo alio requisito, absolutionem tutò conferre. Ratio est, quia statim ille recolendus fuerat ad formandum iudicium, taxandamque penitentiam, quæ tum ritè facta supponitur.

9. Secundò, in prædictis omnibus si contingeret majorem confessionem fuisse factam Confessori non iudici, id est qui non habuisset jurisdictionem, ut si quis per priorem prædictam confessionem aperuisset peccata sua non Sacerdoti, vel Sacerdoti non approbato (accidit autem id sæpe in casibus reservatis, pro quibus inferior Confessor non est legitimus iudex: qui tamen solet audire, & deinde facultatem à superiore recipit, ut absolvi in alia sequenti confessione possit) si inquam id contingeret, debet deinde Confessor constitutus jam legitimus iudex iterum audire peccata penitentis: Sic Delugo disp. 16. de penit. sect. 15 §. 3. quia illa

illa prior confessio non fuit sacramentalis, cum non fuerit iudici exhibita, ut supponimus.

Et quidem hoc certum apud omnes. Solum est quaestio: an etiam in hoc casu sufficiat poenitentem dicere in confuso: *Me accuso de peccatis iam in alia minus legitima Confessione narratis?*

In quo rursus certum sit, si Confessor illorum peccatorum notitiam habet in particulari, satis superque sufficere. Sic idem *ibid.* sicuti sufficit, si Confessor, qui meum peccatum abunde scit ut; si illud vidisset, vel illud ego extra Confessionem, consilij causa illi narrassem, dicam: *Me accuso de peccato quod vidisti*, vel, de quo consilium dedisti.

Quare quaestio est dumtaxat: An si tunc Confessor recordationem tam distinctam non haberet, sufficeret tamen notitia aliqua in confuso? Respondeo, varia hic aliquantulo minutiora tradi à nonnullis *ibid.* pro praxi satis sit in hoc eventu, quando confessio prior perfecta est coram non iudice (nam pro aliis, quando prior confessio fuit facta sine dolore, vel non integre, si supponatur legitimo iudici exposita, locum non habet hac quaestio, & consequenter non est tunc necessario in particulari repetenda confessio, cum satis sit praedicta confusa notitia) regulariter sufficere si dicat poenitens *accuso me de peccatis in prior illa confessione recensitis*. Ita *ibid.* & Gaspard. Hurt. *disp. 8. de poenit. diff. 8.* Ratio breviter est, quia jam Confessor hoc modo resumere poterit distinctam cognitionem status poenitentis, & ex vi huius distinctae cognitionis jam factae sacramentalis, absolvere. Quod si non resumeret (ut certe frequenter occurrit) tunc satis erit si resumat confusam: vel si neque hanc resumeret, postulet à poenitente Confessor notitiam aliquam mediam, seu confusam praedictam peccatorum, quae sufficiat ad iudicium formandum, poenitentiamque taxandam: nec poenitentem cogat distinctam, novamque peccatorum confessionem afferre. Ratio est, quia tunc regulariter excitabitur memoria Confessoris, ut non procedat ad dandam poenitentiam ex illa prior cognitione sola, quae non fuit sacramentalis, & non sufficeret, quia peccata distinctè debent iudici legitimo exhiberi, sed ex utraque, id est ex hac praesenti confusa ut relata ad illam priorem distinctam: id quod in re morali nostra satis superque est. Ex dictis vides, quando secunda Confessio fit coram eodem Confessario (de hoc enim casu semper hic locuti sumus, nam si coram alio, iam dictum n. 7.) siue Confessio fuerit perperam exhibita ex defectu doloris, siue ex defectu examinis, siue quia facta est coram non iudice, siue quia aliquod peccatum sacrilegè tacitum est, semper debere, ita saltem in genere eam repeti, ut aliqua cognitio in confuso peccatorum redeat in memoriam Confessorij.

An autem Granadi 3. p. de Sac. contr. 7. tr. 9. d. 12. n. 3. Dianæ p. 5. tr. 14. q. 5. Ferrantini, de q. scand. d. p. q. 79. & ex parte Merceti solum quoad validitatem 3. p. de sacra. q. 9. art. 1. apud Dianam p. 4. tr. 4. ref. 203. opinio dicentium, quando Confessio invalida reiteranda est cum eodem Sacerdote, tunc sufficere poenitentem se accusare generatim de peccatis ipsi Sacerdoti Confessis, & sacrilegio admissis in illa invalida Confessione, deque alijs forte commissis postea, nam tunc Sacerdos (cum hi) valide, & licite absolvet, quamvis neque in confuso peccatorum neque poenitentiae impositae nullatenus recorderetur, sed recorderetur solum, illum sibi fuisse confessum. An inquam, hæc opinio saltem ex tantorum Doctorum autoritate sit probabilis, nobis otium non est persequi, cum praesertim, pro praxi eam, quæ hactenus explicita sententia est suscipiendam esse, omnino velimus.

CAPUT III.

De Dilatione Absolutionis.

Differtur aliquando absolutio propter proximam non amotam: nonnunquam propter remotam, & lapsam; tertiò propter aliquod peccatum involuntarium. De singulis agere hic locus est.

§. I. Quid sit Occasio remota, quid proxima.

1. Proxima occasio est quando talis est ex quo peccatum mortale inducat: vel experientia confusa hoc hominem, talem affectum habere. Remota talis non est.

2. Alij sic definiunt cum Delugo *disp. 14. de cap. 10. num. 149.* Occasio proxima est, quæ vel ferè nunquam vitatur homo, consideratis constantibus, absque novo peccato. Ut qui detinet carnalem domum, raro vel nunquam desinet facere, vel cogitatione peccare. Remota, quæ non est

§. II. De Occasione remota.

3. Regula communis, & certa est: cum, quæ occasione remota versatur, absolvi legitime potest. Ita idem *ibid.* num. 150. Ratio est, quia aliquod peccatum mortale non est in se, sed in actu, & in exitu de mundo: ad Coniunct. cap. 6. De peccatis exire de mundo: et ad sanè nec satis esset in actu, sed in Caelum abire.

4. Hinc inferunt Doctores cum eodem *ibid.* propter absolvi adolescentes, qui versantur laborando, conversando cum feminis quæ aliam domum morantur: licet sapè ex tali occasione, consensu, vel copula mortaliter peccent: si quidem non sint ex illa occasione solent homines peccare.

§. III. De Occasione proxima.

4. Regula item certa est & communis: ut quæ occasione proxima est, absolvendus non est. Ita idem *ibid.* Ratio est, quia non habet propositum peccandi, qui peccati periculum (quale, sine illa occasione proxima) voluntariè subit: juxta illud: *amat periculum, peribit in illud.*

6. Hæc tamen regula aliquot modis limitatur eodem *ibidem*. Primò, ut possit absolvi poenitens, quando habet extraordinarium dolorem, & propositum hæc quæ faciunt jam illam non esse occasionem peccandi: quia homo sic armatus est fortis, adeoque possumus sperare victoriam.

Multa ad rem Caramuel in Reg. S. Bened. ad n. 10. Sanchez in *sel. d. 21. n. 9. & d. 10. n. 8.*

7. Secundò, quando proponeret alia media vitare: ut si occasio esset ex femina domesticæ personæ, autem proponeret nunquam solum cum sola, colloqui, aut inveniri, ejus aspectum pro viribus declinare, &c.

8. Tertiò, quando occasio relinqui non possit, quæ scandalo, gravi infamia, vel detrimimento spirituali, vel temporali: tunc enim moraliter non dicatur quis occasionem voluntariè eligere, sed voluntariè pati. Sic Summus Pontifex *Constitutione frigidis & malef.* concessit frigidis, ac maleficiis domi permanere ut sorores: idque profectò propter scandalum separationis à matrimonio contracto: tamen esset periculum ratiuum, &c. Pari ergo ratio poterit filius familias v. g. absolvi, quamvis domi serva adsit, cum qua peccare consuevit: quam ipsi expellere non potest, & nec faciliè, aut deceret. Sic etiam à fortiori, si cum fratre, vel sorore occasione peccandi, à quorum convictu se junget, quæ gravi detrimento, nequit: debet nihilominus remedia faciliora quæ potest, adhibere, ut ex se

si ipse crederet esse mortale, quod huiusmodi non est, debet ea amoveri à Confessario: quia secus maximum poenitenti damnum enascetur. Excipe, nisi praevideas maiora peccata ipsum Poenitentem ex tali noticia commissurum. Lege Vinc. Tancred. p. 2. q. mor. tract. 3. qu. 28. & num. 2. Secunda regula. Si ignorantia inculpabilis quaecumque, siue facti, siue iuris, & siue iuris Divini, siue humani non est contra poenitentem (id est quando poenitens non putat esse mortale, quod tale est) & nihil poenitens interrogat de hoc Confessarium, distinguendum est: si enim Confessarius praevidet poenitentem ignorantia ablata, non difficulter relicturnum id, quod re ipsa peccatum est; tenetur ex Sanchez *disp. citata*, n. 6. veritatem aperire, propter bonum poenitentis, & ne poenitens peccet contra legem Dei, etiam materialiter. At, si praevidet non relicturnum, potius taceat, ne in majus damnum illud coniciat. Idem esse dicendum, quando quis est in occasione proxima, & non speratur emendatio, docet Pellizarius, *Tr. de Monial. cap. 10. sect. 3. n. 192.*

4. Hinc ex Delugo, & Sanchez *locis citatis*, non solum in matrimonio contracto, sed etiam in contrahendo si iudicat Confessor poenitentem adhuc remansurum in matrimonio, vel illud fore contracturum, etiam si illi impedimentum aperiat; ne illi aperiat, si non interrogetur. Immo, loquendo de contracto, si poenitens in praedictis circumstantiis solum sciat, seu sciverit esse peccatum contraxisse matrimonium, non autem sciat ejus invaliditatem, absolvat de peccato, non verò invaliditatem offendat.

5. Hinc, item si praevideat Confessor poenitentem non restitutum, si illi delegatur nullitas tituli, quem pro se adesse poenitens putat; non erit ex Sanchez *ibid. n. 17.* talis nullitas illi à Confessario non interrogato patefacienda: quavis sit in praedictum tertij, qui suo carebit; tertij, inquam, particularis: nam si esset in damnum publicum; cum tunc praeponderare debet bonum publicum bono privato poenitentis; videtur aperienda. Sed contra hoc ultimum, quæso te, si praevides Poenitentem non restitutum, quavis item advertas, id esse in damnum publicum, cur tu sis obligandus ad admonendum, quandoquidem praevides, adhuc, tua accedente monitione, illum non fore restitutum, atque adeo non fore amovendum damnum publicum? Certe frustra erit talis monitio, imo nocens ipsi admonito, bono autem publico nequaquam favens.

6. Atque hæc omnia ex Delugo *cit. n. 30.* etiam procedunt quando Confessarius speraret poenitentem suscepturum quidem monitionem, sed tamen advertit remedium esse difficillimum: ut si scandalum, vel infamia notabilis sequatur, qualia possent sequi, ex separatione v. g. matrimonij. Ita idem Delugo *numero 27.* citans Suarium, & Sanchez. In hoc enim, vel simili casu satis est tacere: quia majus est tale damnum, quam illa materialis violatio legis divinae, sine peccato violata.

7. Unde etiam inferitur *ibidem*, idem esse dicendum, quando poenitens sub peccato mortali tenetur ad aliquid adeo difficile: ut non credatur tunc æquo animo suscepturus, & alia vice melius suscepturus esse iudicetur: poterit enim tunc prudens Confessor relinquere illum in sua bona fide, quæ à peccato excusat; & monitionem in tempus opportunius differre: ne scilicet terribis poenitens à Confessione se abstineat, majusque detrimentum patiatur. Hoc notetur permaxime pro Confessariis Mercatorum, & Principum.

8. Tertia regula. Si poenitens, siue quia prudenter dubitat, siue quia scrupulo angitur, interroget Confessor de re aliqua, an sit peccatum, vel an ad aliquid obligetur, nec ne; tunc Confessor veritatem aperire omnino debet. Ita Sanchez & alij *loc. cit.* Ratio est, quia si taceret, illud silentium esset erroris approbatio, id quod nunquam licet.

9. Petes: Quid faciet Confessor, quando nescit, vel dubitat an sua admonitio profutura sit poenitenti, an

damnum allatura? Respondeo: tunc compari utilitas, quæ sub dubio speratur, & damnum sub dubio timetur: atque illud sine scrupulo fiat, magis præponderare in Domino iudicabitur.

C A P V T V.

Quam dispositionem Confessor adveniens in poenitente, & in se debet, antequam absolvat.

Quantum hic facit ad nostrum institutum, dispositio consideranda est: Prima compendiosa actum fidei per necessarium in poenitente. Secundum loquem de peccatis, Tertia, statum gratiae Confessario.

§. I. De actu fidei necessario antequam quis absolvetur.

1. Perspice angit Confessatio rusticorum, & illorum peccata excipientes. Pro praxi tamen tate adnotandum, est aliud esse quod necessarium requiritur, antequam confessor, ad justificationem acquiescentiam absolutio: & hoc est, poenitentem credere se poenitentem de necessitate salutis: aliud esse quod requiritur alio capite: nempe ratione præcepti, quo quilibet Christianus obligatur scire, quæ ad religionem, quam profetur, pertinent. De utroque agemus: quavis prius de priore agere, ad nos dumtaxat spectet.

2. Quoad primum igitur caput, solum videtur nobis est, quidnam credere sit de necessitate salutis, enim solum sit necessarium exposcere ante absolutionem à poenitente. De quo tamen sic dilucide habet Sanchez *lib. 2. in Dec. cap. 3. num. 2. in fine.* In rigore non tenetur Confessarius Poenitentem instituire, prout dicitur, tunc addiscat quæ credenda sunt: sed satisfaciendo illi, & explicando duo mysteria Trinitatis, & Incarnationis, ut ea explicite credat: & inducendo ad negligenter loquens & emenda propositum (si qua in hoc sunt) *ibid.*

3. Tria hic insuper adverto. Primum, in bene notis, vel confiteri solitis, supponi posse semper hæc præsentia credidisse, semel inquam: nam ex necessitate semel sufficit. Vide Sanchez *ibid. in fine, num. 2. & num. 24.* lege item Arag. apud eundem Sanchez *cap. 1.* Secundò rectè paulò ante dictum esse (si negligenter fuerit) nam communiter puto vix, præsentia mortaliter gravem, adfuisse. Nam vel sunt præsentia ex urbanis, & cultis; & supponuntur scire vel ex verbis, seu pueris; & supponuntur inculpabiliter non reverte ad tale onus. Ita Azor, & Valquez apud Sanchez *ibid. n. 20.*

4. Tertio, ab aliquibus hanc necessitatem multò benignius explicari. Sic Torrianus de *Fid. disp. dub. 4.* citans Valquez. Sà mox citandus, Coninch *de disp. 14. dub. 9. num. 163.* Vide etiam Diamant *tract. 5. ref. 46. & 48.* Instat omnino sit Emmanuel *S. Fides*, qui sic habet: Necessè esse explicite credere mysteria quæ publicè in Ecclesia celebrantur; & multi cum D. Thoma: alij excusari multos ignorantia, ferim cum deest, qui doceat, &c.

5. Quoad alterum caput, communior sententia quemlibet Christianum teneri scire, & credere, quoad substantiam, omnes articulos Symboli Apostolici (excipe Communionem Sanctorum, quæ intellectui difficilis est, etiam pro doctis) Addit etiam eodem modo Sacramentum Baptismi, Poenitentiae & Eucharistiae. Itemque Decalogum. Ratio est, quia quilibet tenetur scire, quæ pertinent ad suum statum & officium. Torrian. *disp. 22. dub. 1. & Valentiam quest. 2. p. 4. de ne 2. & Sanchez, loco supra citato.*

6. Dixi, quoad substantiam, ut significarem necesse non esse, ex Sanchez. n. 16. memoriter ea callere: si quidem satis est ea, quo ad res ipsas scire: praeterim rursus, & rudibus, qui sine dubio, propter impotentiam, excusandi sunt. Sic ibidem n. 20.

§. II. De dispositione penitentis quoad dolorem antequam absolvatur.

De dispositione doloris, & propositi ante absolutionem in Penitente requisita, multa diximus in fere libro primo: quare satis pauca supersunt addenda.

8. Primum, praesumitur dolor, & propositum, quando in Confessione ipsa signa doloris apparent. Ita Delugo de pen. disp. 2. sect. 2. §. 3. Immo ipsa accusatio peccatorum serio facta, praeterim in bene moratis, est sufficiens signum doloris: multo magis, si penitens dicat se dolere. Sic Filliuc. de Sacram. Penit. in instructione lxxi. c. 2. art. 3.

9. Secundo, rudiores excitandi sunt ad dolorem: quia non satis advertere ad ejus necessitatem solent.

10. De Confessionibus praeteritis factis a Penitente, nisi clare contrarium constet; supponendum regulariter fuisse dolorem, Confessariumque recte suum munus obivisse. Ita Delugo citatus ibid.

§. III. Quam dispositio requiratur in Confessore, dum absolutionem impendit.

Hicubi de dispositione penitentis, antequam absolvens est, disputavimus, commodum locum habet & dispositio requisita in Confessario, antequam absolutionem conferat. Eum autem debere esse in statu gratiae, quando administrat Sacramentum Penitentiae testata est. Soar. Layman. Henric. Delugo alique mox c. & apud Dianam p. 6. tract. 6. ref. 53. quia reverentia tanto ministerio debita requiritur, ut illud (sicut & cetera Sacramenta, saltem a Ministro qui sit ad ea conferenda ex officio institutus) ministrari in peccato mortali sine mortali non possit. Quare peccati sibi conficius Confessarius ante, vel se conterat, vel attritus confiteatur, quam ad hoc Sacramentum ministrandum accedat. Dixi sub distinctione (vel) quia solum ante susceptionem Eucharistiae adeit praecipuum positivum praemittendi Confessionem, nam ad cetera Sacramenta suscipienda, vel ministranda sufficit, quocumque modo, atque adeo per solum contritionem, in amicitiam pristinam restitui redire. 11. Potest tamen contingere ut in peccato mortali, sine novo peccato administratur hoc Sacramentum a Confessario inadvertenter, & aliquando etiam cum advertentia. Prius contingit ex Laym. de Sac. tr. 1. c. 3. n. 11. cum quis bona fide putans, se contritionis actum elicivisse; sed verè coram Deo non elicit. Posterius, quando gravis aliqua necessitas boni spiritualis proximi id requirit: nam si Confessarius luce gratiae destitutus vocetur ad audiendam Confessionem mox morituri (idem, si vocetur ad baptizandum) nec possit, Praeposit. 3. q. 64. n. 6. d. 1. n. 34. Delugo de Sac. disp. 8. sect. 9. num. 151. ob illis temporum angustiis pressus sine magna difficultate, se recolligere, ad eliciendum actum contritionis, quo gratiae nitorem recuperet, poterit illi ministrare sine peccato Sacramentum. Ratio est, quia defectus contritionis in eo casu non imputatur malitiae Confessarii, sed tribuitur necessitati proximi, & sic, ea necessitate contentus, à peccatis quae opprimunt Confessarium, nulla injuria irrogabitur Sacramento, praeterim Sacramento ei, quod ad delenda ejusdem generis peccata à Christo Domino institutum est.

12. At enim verò quandonam urget ejusmodi obligatio status gratiae in Confessario, dum audit ne penitens

peccata, dum penitentiam ei tanquam iudex taxat, an solum eo temporis momento, quo absolutio conferenda est?

Respondeo. Licet nonnulli apud Dian. p. 7. t. de circumstant. aggr. ref. 47. Bonac. de pen. d. 5. quæst. 5. sec. 2. p. 2. §. 2. disp. 1. n. 8. censcant, & dum audit, & dum penam taxat & dum penam absolvit, probabilissimum tamen est, solum dum absolvit, ex Henric. l. 3. c. 8. n. in Glossa lxxv. Delugo de Sacram. disp. 8. sect. 9. num. 58. Ratio est, quia audiens Confessionem, & penitentiam imponens, licet incipiat conficere Sacramentum, non tamen illud simpliciter, & absolute conficere censetur, donec formam absolutionis adhibeat, ut patet si audita Confessione, & in juncta penitentia, à beneficio impendendae absolutionis absteat. Ergo donec absolvat, non potest dici, quod simpliciter, & absolute irreverenter tractet Sacramentum, quia donec absolvat, Sacramentum non conficit.

Dices. Hinc sequeretur eum, qui incipit ministrare per Absolutionem, Sacramentum Baptismi, vel per Vnctiones Sacramentum Extremæ Vnctionis non peccaturum si antequam proferat formam se conterat. Respondeo: Fac, ultro hunc peccaturum, id enim querendi non est otium non est, assero, adesse in casu nostro disparitatem. Nam cum materia & forma Baptismi, & extremæ Vnctionis instituta sint simul exhibenda; iudicatur moraliter quis male tractare Sacramentum, dum ponit materiam cui ex sui institutione tam proxime adhibenda est forma, cum per positionem materiam tam vicinam ipsi formae, censetur confici absolute Sacramentum. At in Sacramento Penitentiae, quod est institutum per modum Iudicii, in quo frequentissime, etiam per dies plures distat positio materiam, & impositio penitentiae, à forma, quae est sententia absolutio, nis moraliter non censetur per positionem illarum (quae ex sui institutione remotè ab absolutione se habere possunt) confici Sacramentum Penitentiae, atque adeo nec ab illo Confessario peccatores irreverenter tractari. Haec disparitas solvit difficultatem, quam urget Delugo loc. cit. contra rationem numero praecedente allatam, quam sine hac nostra explanatione satis jejune dictam à Doctoribus apud Dian. loc. cit. fuisse, non possum non animadvertere.

14. Petes, quid si idem Sacerdos audiens Confessionem & taxans penitentiam, cum proposito se conterendi antequam absolvat (hoc enim proposito, hinc se debet, si advertat ad indignum animae suae statum) non valens deinde vincere difficultates: quae sese menti offerunt, contritionem tam brevi tempore quo sapissimè penitens absolutionem expectat, concipere nequeat, condemnandus necesse, de culpa mortali, si sic affectus absolvat? Respondeo sub distinctione. Nam vel hic Sacerdos bona fide, & expertus fortasse alias facilitatem se conterendi, differt adum contritionis ad illas temporis angustias, vel mala fide, temerè & imprudenter: si hoc posterius certè peccat mortaliter, saltem quando periculo absolviendi in mortali sese exposuit, quia tunc ipsi pravitati suae tribuitur contritionis defectus. Si illud prius, est iterum distinguendum. Si enim sine ullo timore molestiae penitentis, aliquid forte simulans Confessarius, potest differre absolutionem, si facere obligabitur, secus sine hesitatione absolvere potest. Ratio prioris partis distinctionis est, quia postea nulla penitentis repugnantia, sic requirit reverentia Sacramenti. Ratio posterioris est, tum quia penitens habet ius ad Absolutionem, quare si Confessarius eum absolvere nesciat gravem injuriam irrogabit, cogendo illum ad dilationem sufferendam: tum quia odiosa absque dubitatione reddetur Confessio, si penitens adverteret sese nulla sua causa sine absolutione dimitti, absolvat ergo, &c. Sicut enim necessitas aegroti graviter periclitantis excusavit similem Confessarium modo n. 12. ita ab hac necessitate iuris penitentis, & a necessitate, qua omnes urgemur procurandi, ne molesta evadat Confessio, quod est

publicum Religionis bonum, excusari eundem probabile est.

15. Immo simile quid in priore casu, quando Sacerdos mala fide contritionem ad tempus immediate ante absolutionem remisit, dicendum in aliquo casu esse paritatem rationis ostendit: Nam, etiam si forte, immediate ante conferendam absolutionem à temeritate respiciat ejusmodi Sacerdos, velitque, non tamen possit, in illa brevi morula, se contere, non peccabit, dum absolvit existens in mortali, excusante, nimirum prædicta necessitate iuris poenitentis, prædictoque onere Confessarii non reddendi odiosam Confessionem, licet sine dubio peccaverit, quando fide prava, ad absolvendum in peccato, sese perperam exposuit. Nisi sic doceamus, peccaret tunc Sacerdos, tum absolvendo, quia absolveret in mortali, tum non absolvendo, quia negaret ius poenitentis, id quod esset pari perplexitatem, quam omnes Doctores nunquam concedendam esse, fatentur.

CAPUT VI.

De Iuramenti aliisque obligationibus
poscendis ab eo, qui absolvitur in
casu necessitatis.

1. Iuramentum, quantum facit ad præsentem difficultatem, triplicis est generis: Aliud est de stando mandatis Ecclesiæ, id est quod iterum talia Poenitens non sit commissurus: Aliud est, de satisfacienda parte: Aliud de comparando, id est quod poenitens, propter necessitatem, ab excommunicatione reservata absolutus, recurrere, seu comparere debeat coram superiore sub poena reincidentia, hoc est, quod in eandem excommunicationem à qua fuerat absolutus reincideret.

2. Iam vero, vel possumus sermonem facere de casibus reservatis, vel de reservatis excommunicationibus.

Quoad primum, in articulo necessitatis, id est mortis: & valde probabiliter in gravi periculo ejusdem: Lege Sanchez lib. 2. in Dec. cap. 13. num. 1. immo, & probabiliter, ex Casto tom. 1. tract. 4. disp. 4. p. 3. §. 5. num. 3. in quolibet impedimento perpetuo, propter quod quis ad Superiorem ex se confugere non valet, quilibet Sacerdos potest ex Trid. sess. 14. c. 7. de quibuscumque reservatis absolvere, cum præter id tempus non possit. At verò nullum tunc est exposcendum Iuramentum: quia pro casibus, quibus non est annexa excommunicatio, nullum adest ius; quod obliget ad tale iuramentum. Excepi Incendiarium, c. Pessimam 13. quest. 8. huic enim, quamvis non sit excommunicationi subiectus; erigatur iuramentum injungendum, iuramentum inquam de stando mandatis Ecclesiæ: nisi quis dicat, legem id exposcentem ex consuetudine jam non obligare.

Periculum & articulum sic explicat Dicastillus de p. r. d. 10. num. 409. Pro eodem reputatur Periculum & Articulus, quando mortis periculum est propinquum & verum in fieri, non verò quando ferè certum est, mortem diutius esse differendam, quo tempore potest occurrere opportunitas habentis facultatem legitimè absolviendi. Et paulo post n. 411. tunc approbat, posse absolvi damnatos in Tiremibus, ut in articulo mortis, quando debent periculosum mare transire; aut non est sacerdos, aut haberi à tali damnato de facili non potest. Concludit denique in hunc modum. Plura sunt alia pericula, quæ arbitrio prudentis potius, quam certa regula designari poterunt. Ut cum quis in morbum periculosum incidet qui majore ex parte mortem solet afferre, aut iterum incipit expolitum prædonibus occidere solentibus, vel aggreditur curationem alicuius morbi quæ periculosa esse solet. Hæc ille. Vnde non iudico in articulo seu periculo hoc eum esse, qui tertiana simplici laborat, quia

hæc non solet majore ex parte mortem afferre. Alioquin Sanc. d. 12. n. 5. & Diana, p. 3. n. 4. ref. 17. p. 5. n. 4. mortuum periculosum iudicant dolorem laetitia Medici melius discernendum relinquere.

3. Quoad Secundum. In eodem extremo, seu periculo, vel impedimento perpetuo, quilibet Sacerdos ex Trid. sess. 14. cap. 7. potest quidem à quolibet excommunicatione, sive jure, sive ab homine lata, etiam propter hæresim contracta, & quocumque modo interdictam, quam legitimus Minister absolvere: sed in periculo Clericorum cap. ex tenore, de sententia excom. in omnibus casibus Bullæ Cœnæ clausula 20. impo- poenitenti debet iuramentum de stando mandatis Ecclesiæ. Quod Pellizzarius max. citat. & Diana p. 3. n. 4. ref. 23. iudicant, non esse ex necessitate sub- quando absolutio datur in foro occulto confitentem in iisdem casibus Bullæ Cœnæ Cautione præfixa taxat, aliud iuramentum debet injungere, nempe de facienda parte, si quæ læsa fuit, nec dum remissa debeat. Dixi (dumtaxat) quia in aliis requiritur satisfactio partis, sed non sub præficto iuramento: pendus est Pellizzarius, tom. 1. tract. 7. c. 1. num. 3. et p. 2. tract. 16. ref. 42. qui docet, quando Absolutio in foro conscientie, & poenitens non potest iuramentum non esse imponendum tale Iuramentum de stando do, sed sufficit solum propositum, ut in certis obligationibus. Lege Sanchez lib. 1. in Dec. cap. 13. Denique ab eo qui, à quacumque excommunicatione servata, propter talem necessitatem, absolvitur, onus erit exposcendum: nempe ut transacto tempore recurrat ad Superiorem, vel ejus delegatum, potest esse solum Confessarius electus virtute Bullæ Cœnæ, vel Jubilei. Quod si deinde non recurrat, eandem excommunicationem relabatur, c. ex quibus sententia excomm. in. 6.

Dixi autem (onus, non iuramentum) siquidem iuramentum hoc de comparando, probabiliter est, & p. c. sione solum Clericorum (cum in aliis nullo potest veatur imponendum esse, Bordonus tract. 3. c. 1. n. 1. putat obligationem adesse solum, quando quis ab excommunicatione deducta ad forum communi sum Ita Avila 2. p. cap. 7. disp. 3. dub. 4. Etlo opposit sententia Castrop. cum aliis tom. 1. tract. 4. disp. 4. p. 3. num. 17.

Nota duo. Primò, ab Impubere ejusmodi iuramentum non esse exposcenda: quia non præsumuntur poenitentis usu, ut iuramentum pro dignitate præsumat. Sic Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 13. num. 26. Bonac. censur. quest. 3. p. 3. num. 11. Secundò, Quando poenitens iuramentum vel onus impleri non possit, ut quia poenitens statim est certo mortuus, vel iuramentum fore perpetuum; illa non esse imponenda, quæ frustra imponerentur. Sic Castrop. tom. 1. tract. 4. disp. 4. p. 3. §. 5. n. 18.

CAPUT VII.

De Iurisdictione Sacerdotis, ad absolvendum necessaria.

AD facilem poenitentiae administrationem rebus adam multum prodest, certum esse de sua iurisdictione Confessarium: quapropter hæc breviter adnoto.

§. I. De Sacerdote non approbato.

1. Sacerdos simplex non approbatus solum potest absolvere à venialibus, & à mortalibus aliis absolutis & denique in casu necessitatis ab omnibus casibus, & excommunicationibus, sine ulla restrictione.

Ita Propositor de panit. q. 7. dub. 5. num. 4. alique Passim ex Trident. sess. 14. cap. 7. modo tamen supra dicto in capite precedente: & quidem probabiliter etiam presentem Confessario approbato. Sic Castropal. tom. 1. tract. 4. de panit. p. 3. §. 5. num. 8. & 9. Delugo de panit. disput. 18. §. 1. num. 23. vocantes probabilem nostram opinionem, quavis contrariam probabiliorum & tutiorem. Quam probabilitatem sic ego breviter probabo. Non potest negari hanc sententiam esse probabilem, ut fatentur ipsi Castropal. Delugo, & sexdecim Doctores à D. I. I. citati, alique sed in iurisdictione probabili, sententia est communis, quod Ecclesia dat iurisdictionem certam: ergo prædicta iurisdictione non erit amplius probabilis, sed certa: Minorem huius argumenti probat ipsi Castropal. eodem tom. 1. disp. 2. de consensu opinionum p. 5. num. 9. afferens Suarezium, Lessium, Thomam, Sanchez, Basilium de Leon. Aegidium, Coninch. Bonac. aliosque, qui omnes affirmant operanti ex opinione probabilis, qua scilicet quis probabiliter indicat se habere iurisdictionem, statim de facto ab ipsa Ecclesia iurisdictionem certam conferri: ergo, &c.

§. I I De Confessore approbato.

Sacerdos ritè vel à suo Ordinario, seu Prelato, vel à Summo Pontifice approbatus; eos respectu quorum est approbatus: potest absolvere, tum ab omnibus casibus, tum ab omnibus excommunicationibus aliis nulli Superiori reservatis.

Ad hæc clarius explicanda, quatuor adverte.

Primo: Episcopis seu Prelatis Summo Pontifici inferiores nulli sunt casus neque excommunicationes reservate in iure: Ita Suarez de panit. disput. 29. sect. 3. num. 6. Filliuc. tract. 15. à num. 237. solum igitur solent ipsi aliqua sibi reservare: quare quilibet Confessarius consolat suæ Diocesis constitutiones, & iura, vel legitimas consuetudines. Vnum subadverte, casus hosce, quos ipsi hi reservant, vim solum habere in sua Diocesi si non in aliena. Nam propterea Diocesis, qui forte peccatum in sua Diocesi reservatum confiteatur Confessario in altera Diocesi, ubi non est reservatum, poterit absolvi à dicto Confessario: Sic Filliuc. tract. 7. à num. 285. quia supponimus isti nullam factam esse restrictionem, ut est factam restrictionem quandam pro Religiosis Societatis lesu, peccatum reservatum forte confiteantur domi iter agant, scimus. De quo Delugo de panit. disput. 15. sect. 6. §. 3. Quod si dictus Diocesis, qui reservat domicilium, seque in alienam Diocesim transfereat, multò magis in prædicto casu poterit absolvi, ut de se constat.

Secundo: Regulariter nullus est casus reservatus in iure Summo Pontifici, cui non sit annexa excommunicatione. Sic Filliuc. in Instruct. brevi cap. 2. artic. 5. Vnde colligit rectè Doctores, quod si quis non incurritur excommunicationem propter aliquam causam, v. g. propter ignorantiam, etiam si esset hæresis externa (nam propter internam quæcunque delicta, cum Ecclesia nolit indicare de internis, nulla incurritur excommunicatione) tunc illud peccatum, seu, casus non esset reservatus; sed posset à quocumque legitimo Confessario absolvi. Sic Suarez lib. 8. de matr. disput. 9. num. 20. circa medium, Castrop. tom. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 3. initio.

Tertio: Episcopis conceditur à Tridentino, sess. 24. cap. 6. de reformat. ut possint in foro conscientie absolvere suos subditos ab omnibus casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis: idque in hæresis crimine, eisdem, non verò eorum Vicariis permittitur: id quod intellige cum Fagundez 2. Eccl. præc. cap. 8 lib. 8. num. 33. lege etiam Castrop. tom. 1. tract. 4. p. 3. §. 1. n. 18. etiam post Bullam Cæne Domini: & quando dicitur (non eorum Vicariis) intellige de Vicariis ex officio, nam posse hæresis occultæ absolutionem, vel Vicario, vel eorumque Sacerdoti specialiter, quando casus occurre-

rit, committere, non est mihi dubium. Sic Fagundez ibid. Castrop. ibid. num. 19. &c. Per occultum autem intelligitur, quando peccator non laborat publica infamia, quoad illum casum, etiam si aliquibus sit notus. Sic Filliuc. tract. 7. n. 186.

Atque ex hac tertia animadversione efficitur, ut Confessarius in his occultis non cogatur mittere Penitentem, seu confugere ad Summum Pontificem, satis enim superque erit, ad Episcopum. Est aliud remedium; id est Bulla, & privilegia Religiosorum, de quibus iam aliquid subdo.

Denique adverte, Catalogum Censurarum reservatarum haberi apud Filliucium tractat. 15. & 16. in fine.

§. III. De Confessario electo per Bullam Cruciatæ vel Jubilæum.

Per Bullam Cruciatæ conceditur accipienti, illum (nam ex Ioseph. August. in notitia brevi de Bulla Cruciatæ, n. 12. non satis est propositum accipiendi, cum contra, satis sit accipere, quamvis di. ata solutione) in Regnis Hispaniæ, posse absolvi, in illo anno, quo Bullam accipit, à quolibet Confessario ritè approbato, ab omnibus casibus, & excommunicationibus Episcopo quomodocumque reservatis (præmissa debita satisfactione, ubi opus fuerit, toties quoties ab omnibus Pontificiis publicis, semel in vita, & semel in morte in illo anno: & per aliam Bullam iterum semel in vita, & semel in morte in eodem anno, sed non tertio per tertiam. Probabiliter autem satis est, ex Henrico. Coninch. Filliuc. Regin. aliisque apud Dian. p. p. tract. 11. Res. 7. & post hos Valerius in Diss. vtriusque fori, v. Absolut. Diss. 1. si is electus per Bullam fuerit approbatus semel à quocumque ordinario, sive originis, sive domicilij, sive beneficii, nec iniiciendus est scrupulus P. Fagundez 2. Eccl. p. lib. 1. c. 2. num. 22. dicentis, opinionem non requirerem novam approbationem si eiusmodi electus Domicilium mutet, non esse tutam, esse enim tutam pluribus probat idem Valerius, & signatè notat num. 18. Versu & observa, sed omnino est legenda quedam seu declaratio seu limitatio, quam ego afferro in Tract. de Bulla Cruciatæ c. 12. num. 3. seq. Ita Ioseph. Aug. in Notitia brevi Bulla Cruciatæ, à num. 5. Idque propter rationem quam affert Sanchez l. 4. in Decal. c. 54. num. 27. (esto sint cum Filliucior. 73. n. 287. alij contrarij) quamque approbat Bauc. in selec. q. 48. citans Bonacinam tr. 3. De Censur. d. 2. q. 1. p. 10. num. 16. & Alfonso de Leone To. de cens. recoi. 7. n. 40. Ratio autem est quia est verum hos occultos esse casus Papales, & solum ex Delegatione concessos Episcopis, & in rigore non esse casus, quos si Episcopi reservant, seu non esse casus Episcopo reservados, ut rectè notat Suarez, de pan. d. 29. c. 3. num. 6. tamen sive ex usu, sive ex lata interpretatione, statim ac illi conceduntur Episcopis in perpetuum, conceduntur illi tamquam ordinariis, atque toties, quoties absolvi-biles per Bullam; quæ est ratio allata à prædicto Sanchez l. c. Hinc ibidem paucis sic consequenter concludit. Qui habet ab Episcopo facultatem Generalem absolviendi à Casibus & Censuris ipsi reservatis, intelligitur etiam ipsi concessus casus Abortus animati, & propter paritatem rationis, percussio levis Clerici, & ita esse usu receptum. Hæc ille: & quidem propter eandem rationem, quia nimirum hi casus concessi sunt in perpetuum Episcopis.

7. Dixi (à Pontificiis publicis) nam ab occultis (excipe semper hæresim) potest toties quoties tam lata est potestas absolviendi per Bullam omnes excommunicationes, satisfacta, si opus fuerit, parte, ut etiam possint absolvi, in foro tamen interno, excommunicati, sive generaliter pro peccatis, quæ sint commissa post Bullam acceptam, vel etiam antea, sive nominatim denunciati. Ita Ludovicus à Cruce in expositione Bulla Cruciatæ

ea disput. 1. cap. 4. dub. 1. Esse autem absolutum quempiam ab excommunicatione in foro interno, hunc effectum habet: ut si excommunicatio sit occulta, licet pro culpa, pro qua fuit excommunicatus, & pro ipsa excommunicatione, si manifestetur, possit apud Iudicem externum puniri: ipse tamen privatim potest se gerere, ut non excommunicatum: quia de facto absolutus est auctoritate Summi Pontificis. Ita idem *ibid.* dub. 3. n. 9. At si casus, seu excommunicatio non sit occulta, & absolutio sit super Bullam in foro conscientiae data: potest se in occulto gerere, ut non excommunicatum: at publice se debet, ut excommunicatum gerere, quia secus faceret praedictum foro exteriori. Sic idem *ibid.* n. 12.

9. Absolutio à Censuris virtute Bullae potest fieri etiam extra Sacramentum Pœnitentiae, ex Ioseph. August. *ibid.* num. 16. & etiam per formulam ordinariam absolutionis à Censuris *ibid.* num. 7. Nec est necesse, ut Pœnitens Bullam habeat secum: cum satis sit, ut habeat domi: ita idem *ibid.* n. 8. & Ludovicus à Cruce in expositione Bull. Cruc. disp. 1. c. 1. dub. 2. Immo etiam illam amiserit, ex eodem Ludovico à Cruce *ibid.* dum tamen sponte non prolecerit; ex Ioseph. August. n. 8.

16. Quoad Iubilaeum in quo solet concedi latissima potestas absolventi à peccatis, & excommunicationibus, secundum eius tenorem erit procedendum.

§. IV. De Confessore Privilegiato.

11. Hi solent esse Mendicantes, & qui in eorum privilegiis communicant. Hi enim extra Italiam, & qui in Vrbe Romae commorantur, possunt absolvere à Pontificiis omnibus toties quoties (satisfacta semper parte universitatis pro omnibus Mendicantibus Rodrig. in Compend. res. 3. v. Absolutio quo ad saeculares, à num. 4. Comp. Priv. Soc. V. Absolutio §. 1. prater casus Bullae Cœnae, à quibus ex Sanch. lib. 4. in Decret. §. 4. n. 24. non possunt.

12. Excipe item excommunicatos nominatim per sententiam prolatam ab homine; quos non potest absolvere nisi ille, qui tulit, vel ejus successor, vel superior qualis est censendus delegatus a dicto superiore) ut occurrit quando quis absolvitur virtute Bullae Cruciatæ. Sic Filliuc. tract. 11. n. 297. & alterius tom. 1. lib. 4. disp. 2. c. 2. & 3. & c. 5. §. Quod tamen Privilegium. Excommunicatos autem generaliter ab homine, Confessarii Societ. Iesu non debent absolvere; sine speciali licentia suorum Superiorum: prout explicatur in Compend. Privilegiorum ejusd. Soc. §. 1. V. solutio. Alij tamen Mendicantes possunt hos excommunicatos generaliter ab homine, & quidem in foro interno, ut hic semper sensus est, Sic Ioan. la Cruz in Compend. Privil. lib. 1. cap. 7. dub. 1. Et Ratio diversitatis est, quia Confessarii Societ. id limitatur à suo Patre Generali, quod limitare utique à suis privilegiis potest: Ita in præfatione ejusdem Compendij Privil. Soc. Iesu: qua limitatione carent ceteri, ut supponimus. Vtrum autem pro excommunicatis nominatim sint hi per sua privilegia Delegati à Pontifice, sicuti Electus per Bullam Cruciatæ, non est hic querendi locus: nam propterea, modò initio huius numeri, excommunicatos nominatim excepi.

13. Hæc pro Confessariis Mendicantibus, eorumque privilegia participantibus extra Italiam, & intra Vrbem. De hisdem nunc breviter dicendum, intra Italiam, & extra Vrbem. Certum est ex decreto Clement. VII. posito à Ludovico la Cruce de expof. Bulla Cruc. disp. 1. cap. 1. dub. 5. hos posse absolvere à ceteris, prater sequentes, hoc est Primò, prater casus Bullae Cœnae, Secundo, prater casus sex Pontificios positos apud eundem *ibid.* in moderatione ejusdem Decreti Clem. VII. Denique terciò, prater casus, quos sibi Ordinarij locorum reservant. De hoc tercio nihil occurrit addendum. De primo, & secundo, solum hic exponendum erit in

gratiam legentium, quinam illi sint.

Bulle Cœna Summa.

Hæretici, librosque Hæreticorum legentes, Pyratæ in mari Romano, eorumque fautores, Imponentes nova pædagia, gabellass, &c. Falsificantes literas Apostolicas.

Arma, ferrum, &c. equos, &c. deferentes ad inimicos Christiani, vel ad Hæreticos, illisque armantes, consiliumque dantes, &c.

Impedientes eos, qui victualia Romam deferunt. Qui euntes Romam, vel ab ea recedentes spoliunt, capiunt: & sine iurisdictione vexant in Romana commorantes.

Vindicantes sibi iurisdictionem Apostolicam. Vulnerantes, vel capientes Episcopos, Cardines, &c.

Qui per se, vel per alias personas, quæ Romam suis causis recurrunt, vel inibi propter eandem commorantur: vel Iudices, Officialesque dictarum causarum casione eandem, &c. occidunt, percutiunt, spoliunt.

Appellantes à gravamine, vel futura executione rarum Apostolicarum, ad potestatem saecularem. Impedientes earundem litterarum Apostolicarum causarum spirituum executionem.

Iudices saeculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia; quique Ecclesiasticam libertatem lunt, aut in aliquo perturbant.

Impedientes Prælatos, ne sua iurisdictione utantur, quæque illorum delegatorum iudicia eludent, recurrunt ad curiam saecularem, aut contra illos aliquid conernunt.

Vsurpantes Ecclesiarum iurisdictiones, vel eius fructus.

Imponentes onera Ecclesiasticis.

Iudices saeculares, qui interponunt in criminibus contra Ecclesiasticos.

Occupantes bona Ecclesiae Romanae, illiusque iurisdictionem usurpantes.

Præsumentes absolvere prædictos.

Sex Casus Pontificij, de quibus non possunt absolvere Mendicantes intra Italiam extra Vrbem.

Apud Ludovic à Cruce citatur.

14. Violantes immunitatem Ecclesiasticam in personis Greg. X l. v. Cum alias nonnullis. Violantes clausulam Monialium ad malum finem. Provocantes, & pugnantes in Duello, iuxta Tit. l. Constit. Greg. XII l. Ad tollendam.

Inijcientes violentas manus in Clericos, iuxta Canonem, Si quis suadente.

Simoniam realem scienter contrahentes.

Confidentiam beneficiale, quæ est ea, et Pij IV. Romanum, & Pij V. intolerabilis, quam committunt personæ resignantes aliquod beneficium, vel illi acceptantes, vel collatores, vel electores, vel prælatos, quando resignant, acceptant, conferunt, eligunt, præsentant cum intentione, seu certa confidentia quod beneficium, seu ejus pars aliquo tempore reversione sit in favorem, sive ipsius resignantis, sive alterius cuiuscunque.

15. Hæc, ut dixi, in gratiam legentium Confessionum posita sunt: Cum enim Confessarios, ut res de his fungatur munere, teneatur ex Filliuc. in instr. brev. p. art. 5. §. Quarto, scienda sunt, scire casus, sive excommunicationes, saltem ordinarias, quas ipse non potest absolvere: nam de illis, quas potest, satis est si habet cognitionem confusam, intendatque eas absolvere, si quo

facit, ideo Confessarius ex Mendicantibus extra Italiam, & in Vrbe, satis est si sciatur excommunicationes Bullæ Cœnæ, quoniam iam modo compendiosè deliberavi. Confessarius autem ex iisdem Mendicantibus intra Italiam, & extra Urbem, sufficit si sciatur easdem excommunicationes Bullæ Cœnæ: & insuper ex modò dictos casus Pontificios: & denique casus ab ordinario Diocesis, ubi degit, reservatos. Demum Confessarius non participans privilegia Mendicantium, non solum prædicta scire debet; sed etiam illas alias excommunicationes reservatas in iur., & in Extravagantibus, quorum Catalogus, ut supra dixi, est apud Filliucium tractatus 15. §. 16. in fine, qui quia longus est; hic transcribere operæ pretium non fuit: est tamen apud eundem in *Instructione brevi artic. 5. brevior Catalogus ordinarius excommunicationum reservatarum, quò si magis uti ad facilitatem, potes.*

CAPUT VIII.

Quid faciat Confessor si erraverit in absolvendo.

§. I. Proponitur Quæstio.

Tripliciter id evenire potest. Primum si erraverit in quoad valorem Sacramenti, absolute, ergo v.g. sine potestate: ut si absolvisset reservatis, vel sine intentione, vel sine debita pœnitentis dispositione. Secundò si erraverit, quoad aliquid, quod erat in damnum Tertij, v.g. non obligavit ad restitutionem debitam: & idem est si obligavit ad indebitam. Tertio si erraverit in aliquo, quod nec bonum Tertij, nec validitatem Sacramenti læderet; sed solum v.g. non interrogavit de numero; vel de requisitis circumstantiis peccatorum, vel reliquit pœnitentem in occasione proxima. Iam de singulis hisce eventibus, nostro more, breviter.

Sed prius advertendum est, eiusmodi errores, vel à Confessario posse committi ex culpa mortaliter gravi; quoniam *malam fidem* vocabo: vel ex nulla, aut saltem venialiter levi, quam appellabo *bonam fidem*: nam hac distinctione posita, clariora evadent, quæ subdenda sunt, ultimo autem facimus à tertio.

§. II. De errore circa Tertij damnum.

Quando ergo Confessarius erraverit tertio modo, si bona fide processit, ad nihil illi obligo, sed Deo omnia commendat. Ita Filliuc. in *instr. brevi. cap. 4. §. dico 2. Delugo disp. 22. de pœnit. sect. 3. n. 75*: si mala fide, debet diligentiam moralem adhibere, ut pœnitentem admonere; Sic idem Delugo num. 74. de cuius admonitionis modo, mox aliquid attingam num. 6. Ratio est, quia in posteriore hoc eventus Confessor esset causa ne pœnitens obligatus v.g. confiteri integrè omnia peccata, tali obligationi, saltem materialiter, non satisficeret. At in casu priore non censeretur causa moralis. Huius autem ratio ulterior est, quia bona fides facit, ne nunc Confessor sit, seu censeatur ejusmodi, causa moralis: nullam enim culpam adhibuit; & ut suppono; non dixit pœnitentem non esse obligatum, sed solum tacendo non interrogavit, vel non obligavit, Sane si quis ex Fidelibus, die festivo, quem ipse credebat, feriarum, laboraret; ego non obligaret facere eum de diei festivitate, si ejusmodi monitionem docere non possem sine meo gravi incommodo: & ratio est; quia non teneor ex iustitia: quod si teneor ex charitate; certè illud incommodum me excusat: ut est communis doctrina in omnibus obligationibus provenientibus ex debito Charitatis. Ita est in casu nostro: nam ex vna parte grave censetur incommodum, cum meo rubore, &

ostendendo me errasse, monere pœnitentem: & ex alia nullum damnum obvenit pœnitenti bona fide procedenti (ut supponimus) & solum materialiter, legem de integritate Confessionis non observanti.

3. Petes; quid si bona fide positivè deobligavit: vel: quod in idem recedit, pœnitens mortuus ex silentio Confessarii putavit, se non obligari ad prædicta? Respondet: regulariter ad nihil illum obligari docet Filiucius loco cit. Ratio obligari docet Delugo n. 74. cit. Rectè uterque: tunc enim esset obligatio, cum omnibus perpensis non esset grave incommodum Confessarii admonere: quia verò ratio non adest ille rubor in retractando, potest rectè dici regulariter non obligari.

§. III. De errore cum damno Tertij.

Quando erravit secundo modo, nempe cum Tertij damno: distinguendum est. Quando enim tacuisti, hoc est, nec illum positivè obligasti, nec deobligasti positivè: si quidem bona fide processisti, ad nihil teneri putant graves Auctores, propter rationem modo dictam §. præcedenti. Filliuc. in *instr. brevi. cap. 14. §. dico 2. strictius loquitur Delug. de pœnit. disp. 22. sect. 4. n. 65*. si autem mala, teneris admonere pœnitentem de patratò errore, ne scilicet patiatur damnum innocens causa tua, Sic Delug. *ibid.* Si tamen non admoncas, licet pecces, non teneris ad restitutionem: quia Confessor non tenetur ex iustitia querere bonum temporale aliorum. Quod si illum positivè obligasti, vel deobligasti: si mala fide id à te factum est, certè obligaris vel monere cum affectu, quo ipse restituat: vel si nolit, seu iam tunc non possit, cum potuisset ante tuam deobligationem, tu teneris restituere: fuisti enim causa positiva damni, unde obligaris ex iustitia. Sic *ibid.* Si verò bona fide processisti: etiam obligaris (sic urgente damno Tertij) cum aliquo tuo incommodo: non tamen cum tanto, quanto si mala fide processisses: quia nunc teneris ex Charitate, non verò ex iustitia, ut dictum est. Ita *ibid.* Aliqui cum Delugo citato *ibi. num. 61*, putant in hoc casu adesse obligationem aliquo modo ex iustitia: si quis enim sine culpa incenderet domum alienam: ut primum id advenit; tenetur (aiunt) ex iustitia, si potest, non cum tanto incommodo extinguere: licet alius, qui non incendit, non ex iustitia, sed ex sola Charitate teneatur. Ita in casu nostro, &c.

§. IV. De errore cum invaliditate Sacramenti.

Quando Confessarius erravit primo modo, hoc est, ita ut Sacramentum Pœnitentiæ, quod administravit, invalidum fuerit: si fide mala processit, debet omnino, cum suo etiam gravi incommodo, pœnitentem admonere, sic exposcente damno scienter illato à Confessario. Ita Filliuc. in *instr. brevi. cap. 4. Dico igitur primo*, & Delugo *dicta disp. 22. de pœnit. sect. 3. n. 58*. Si verò bona fide tunc solum debet (semper supponimus quod possit illum convenire) admonere, etiam cum proprio aliquo dedecore, & incommodo, quando est periculum ne pœnitens amplius confiteatur: ut si esset v.g. graviter infirmus. Ita Delugo *ibid.* Ratio est, quia tunc est periculum mortis æternæ pœnitentis: atque adeo pœnitens tunc versaretur in extrema necessitate. At si tale periculum non est: quia spes est ut iterum validè Sacramentum Pœnitentiæ suscipiat; non esset in necessitate extrema; nam in sequenti Confessione bona fide facienda jam indirectè absolvetur ab omnibus peccatis aliàs non legitimè ab solutis: Illud autem inconueniens, quod non servabitur materialiter lex Dei de sebedendis omnibus peccatis directè clavibus; rescuitur ab excusatione ducta ex rubore Confessarii, eo modo quo dictum est §. 2.

6. Petes; quando admonendus est ejusmodi pœnitens, quo modo fiet sine fractione sigilli; Respondet:

deo: Confessor, ne sigillum frangat, debet petere veniam à penitente loquendi cum ipso de re ipsi penitenti necessaria ad salutem, atque ad ejusdem Sacramentalem Confessionem præteritam pertinentem: Si penitens concedat; jam tunc Confessor admonet: si negat, ad nihil aliud tenetur: quia jam factus est suo munere, quantum potuit. Si penitens redeat ad Confessionem, re in hac debere illum monere de defectu prioris, puto, quia non adest ille rubor: & ita ob aliam rationem minus universalem notat Delugo l. c. n. 77. ita Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 6. num. 3. contra Suarium disp. 33. de pen. sect. 5. dicentem posse adhuc & debere admonitionem prosequi: quia talis locutio est pars Confessionis præteritæ.

CAPVT IX.

Aliqua pertinentia ad Confessarium antequam absolvat.

IN unum redigimus quædam, quæ supersunt, quæque superius meliorem locum, quam hunc obtinere non potuisse visa sunt.

§. I. Ex qua opinione Confessarius Penitentem absolvat.

1. **P**otest, immo debet Confessarius sequi opinionem probabilem penitentis, contra propriam sententiam sive probabilem, sive probabiliorum. Ita Suarez de pen. disp. 32. sect. 5. Sanchez lib. 1. in Dec. cap. 9. n. 28. & 29. alique; Castrop. tom. 1. disp. 2. de conscient. opin. p. 5. n. 3. Ratio est, quia tunc penitens est rectè dispositus: dum enim sequi paratus est opinionem probabilem; jam vult ab omni peccato discedere: & quamvis in rebus humanis, sive iudex, sive Medicus debet opinionem probabiliorum sequi, de qua re nobis nunc agendum non est; tamen Confessario, qui non alio modo est iudex, & Medicus, nisi ut anima penitentis justificetur; satis erit si penitens rectè ad prædictam justificationem dispositus appareat: id quod satis habetur sequendo opinionem probabilem.

2. Petes: Debent id sub mortali? Respondeo, Ita cum Delugo disp. 22. sect. 1. num. 48. Et quidem Confessarius proprius, id est Parochus, debet toties quoties ad se recurrerit penitens, eum absolvere, & sequi penitentis opinionem probabili conformare: delegatus vero, id est non proprius, licet audita Confessione, pro ea vice idem debeat; tamen potest eum monere, ne iterum redeat, nisi eam opinionem deponat. Ratio diversitatis est ducenda ex obligatione, quam habet Parochus pro suis ovibus audiendis, à qua non urgetur delegatus. Obligamus autem delegatum pro ea vice: quia quando Confessarius quicumque audit Confessionem; ex suppositione, quod audit, obligatur sub mortali conformare se opinioni probabili, quia tunc penitens, cum sit rectè dispositus, habet jus absolutionis: ne iterum cogatur sua scelera alteri manifestare.

3. Non est tamen negandum, excusari nonnunquam propter levitatem materiæ, ejusmodi Confessarium: ut si Confessio fuisset de peccatis venialibus, aut ita brevis, aut de tali materia; ut eius repetitio apud alium Confessarium grave onus minimè censeatur. Sic Suar. cit. num. 2. Sanchez cit. num. 29. Imò Montefinus & alique apud Delugo disp. 22. cit. sect. 2. num. 48. (nec reprobat ipse Delugo: siquidem contrarium solum vocat verius) in hoc Confessario delegato nunquam talem obligationem mortalem agnoscant: quia talis Confessarius volendo audire penitentis peccata, non vult cedere iuri suo, quo liber est, ut possit suam operando opinionem sequi.

4. Petes iterum: quando Confessarius potest, vel

debet conformare se opinioni penitentis probabiliter esse in se probabilis opinio, an satis est, ut penitenti appareat probabilis, quamvis in se talis opinio non sit? Respondeo: debet esse talis in se, sive tenens, per rationes intrinsecas, sive per auctoritatem extrinsecas. Auctoritate juxta ea, quæ dicuntur à Doctoribus de hac materia. Si ergo opinio penitentis non sit probabiliter habita, sed solum ipsi penitenti appareat probabilis: v. g. appareat probabile tale tractum non esse usurarium; diligens sit Confessarius in examine sententiæ, an forte sit probabiliter extinsecè propter auctoritatem alicujus, & si inveniatur esse talem; illi se conformet. Sic Delugo cit. à num. 45. secus illa opinio penitentis, quæ sit nisi falsa & erronea: unde cum ejusmodi penitentem se geret, sicuti se gereret cum culpabiliter, vel probabiliter ignorante: de quo nos satis diximus supra lib. cap. 4. hæc tunc declarata doctrina, quando rationem adhibet Delugo lib. 1. Resp. mor. dub. 11. rito enim ait, non obligari Confessarium sequi opinionem penitentis, quando opinio se tenet ex parte Confessarii, ut si sit probabilis, ipsum, posse, & non negare Absolutionem: id quod ego iterum notavi Sanchez d. 44. n. 10. quando egi de penit. lib. 3. cap. 1. num. 39.

§. II. An Confessarius sciens Penitentem non factum, quod commisit, possit illum absolvere.

5. **Q**uid faciat Confessor, quando advertit penitentem aliquod peccatum commisisse, & neque ex se, neque interrogatus confiteri? Dico: si evidenter, quod commiserit, & item evidenter non alteri confessus non sit, absolvere non potest: quia ipsi tunc constat ejusmodi penitentem non esse rectè dispositum. Sic Suarez de pen. disp. 32. sect. 3. n. 9. Sanchez lib. 6. de 2. præcept. Eccl. cap. 4. n. 38.

6. Dixi (si scit evidenter:) si enim dubitat, dubitat an penitens licet neget; potest absolvere: quilibet debet præsumi bonus, atque adeo rectè dispositus nisi contrarium clare constet. Quoniam igitur evidentiæ rarissima est, ut apud item contingere possit, penitens habeat tacendi causam rationabilem, ut alibi dicta, ad evitandum, verbi gratia suum, vel alius damnum: vel habeat aliquam probabilem opinionem pro se, suæque actione; ideo, regulariter videtur solvendus.

7. Quid, si Confessarius ex aliorum Confessione vidit, v. g. Petrum tale crimen commisisse, nec esse confessum: ipse autem interrogatus negat; habendane ex hoc alius, an Petro? Respondeo: Petro potius, quam alio, in hoc judicio penitens est reus, testis, & accusator: quæque est credendum in hoc foro penitentii in sua conscientia, quam aliis in aliena.

8. Sed quid si Confessor advertit penitentem tale peccatum, quod clare commisit; obligaturne interrogare? Respondeo: obligatur, si advertit tale silentium cum malo examine: quia debet penitentem indispotum rectam dispositionem adjuvare: imò etiam si incipit penitens omittere: quia Confessario etiam incipit cognoscere plenè statum Rei, illiunque rectè debet antequam absolvat. Quomodo autem, & qua præcedat interrogare debeat penitentem de peccatis ab ipso commissis, jam subdo.

§. III. Quæ ratione Confessor, antequam absolvat Penitentem interrogare debeat.

9. **H**æc animadversio supra, cum de integritate Confessionis actum est, suum germanum rationem locum poterat: Verum nec ab hoc loco, in qua deranti patebit, aliena prorsus est. Quare de illa alio ex Delugo disp. 16. de penit. sect. 14. num. 89. qui

colligitur (& quidem ex eodem, puto principio, quod examen debet esse morale & humanum, non verò metaphysicum) ex qua, inquam, colligitur non obligari Confessarium ad interrogandos poenitentes de extraordinariis quibusdam eventibus, qui in eorum peccatis alias mutantur speciemus, & si ipsi poenitentes adverterent, explicare sine dubio deberent. Verba Sanchez sunt ejusmodi; *Ex his infero, confitentem suum extraordinarium in concubitu, servato legitimo vase, non esse necessario interrogandum de effusione seminis, ad extra vias venerie, necne, vel experius sit illius periculum, quia hac non frequenter, sed rarissime accidunt.* Hæc Sanchez.

§. IV. An aliquando à Confessario sit subeundum onus Poenitentis, quem absolvit.

Obligatur v. g. poenitens, omnibus expensis, vel primo ad correctionem fraternam proximis, vel secundo ad restitutionem siue rei, siue famæ: vel tertio ad confugiendum ad Superiorem, ob casus reservati absolutionem: vel quarto ad denunciandum aliquem siue Sanctæ inquisitioni, siue alteri Tribunali. Quæritur ergo an Confessarius ejusmodi onera in se suscipere liceat possit, vel debeat?

13. Quoad licet posse: Quamvis consilium optimum sit, ut Confessarius ab hujusmodi poenitentium oneribus subeundis omnino abstineat: tamen concurrentibus tribus, licet potest: ex Suarez de poenit. disp. 35. sect. 4. a. num. 17. imò interdum, ob charitatem, docet. Primum ut sit moralis aliqua necessitas ex parte obiecti: id est, ex parte rei faciendæ. Secundò ut eam rem facere poenitens non possit, vel non sit aptus, vel rationabiliter refugiat. Tertio ut ipse Confessarius speret utiliter se illud munus, sine suo dispendio, executurum.

14. Quoad debitum: In eo tantum casu debebit quando non potest omnino poenitens, ipse autem Confessarius potest: & ex altera parte obligat Charitas sub peccato, ut illud fiat, ad quod tenetur poenitens. Sic idem ibid. Sed discutiendo per singulos casus n. 12. propostos; doctrina hæc evadat evidentior.

15. In primo enim casu: si proximi necessitas sit tam gravis, ut poenitens obligetur ad corrigendum illum, siue per se, siue per alium, tunc si potest ipse poenitens; siue per se, siue per alium diversum à Confessario corrigere, non obligatur Confessarius: quia tunc non extremè indiget proximis. At si eandem gravem necessitatem succurrere: neque per se, neque per alium poenitens possit; sed solum per Confessarium (qui casus certè rarissimus est:) tunc si sine magno incommodo, juxta leges communes charitatis, possit Confessor; famæ debebit: Sic ibid. n. 20. multò magis si is Confessor sit superior, cui incumbit bonum subditorum. Ratio est quia tunc extremè indiget proximis.

16. In secundo casu Confessarius non tenetur subire onus restitutionis siue suæ, siue poenitentis, siue alterius pecuniæ. Idem de restitutione famæ. Sic colligo ex Suarior loco. cit. & ex Sanchez & Castr. mox. citandis Ratio est, quia hoc est onus poenitentis; quod si ex aliqua causa ipse poenitens subire non potest, nec alium inveniat, qui voluntariè vices suas suppleat; jam à tali onere liberatur. Excepi tamen casum extremæ necessitatis, si enim Confessor advertat illà pecunià extremè indigentem sublevandum, nec aliam adesse sublevandi viam sanè; juxta leges charitatis, ut modò diximus, obligabitur.

17. In tertio casu nunquam obligabitur Confessor Superiorem convenire propter peccatum reservatum poenitentis: Sic Sanchez lib. 2. in Decal. c. 13. n. 14. Castr. tom. 1. tract. 4. disp. 4. p. 5. §. 2. n. 4. 5. & 7. nam vel poenitens potest adire prædictum Superiorem: & tunc non extremè indiget, vel non potest, quia v. g. est infirmus in gravi periculo, vel habet impedimentum perpetuum adven-

di

di Superiorem: & tunc casus hic non est reservatus: & consequenter Confessor, juxta regulas generales absol-
vendi in articulo seu periculo mortis: poterit illum ab-
solvere: neque enim penitens obligatur mittere alium
sive procuratorem, sive litteras, sive amicum: cum al-
lud se presentandi sit onus personale penitentis, à quo
cum non possit, excusabitur.

¶ 18. In quarto casu nec obligabitur ipse Confessor
subire onus denunciandi illis Tribunalibus; idque pro-

pter rationem modo num. precedenti dictam.
Excepi nisi graviter periclitetur bonum publicum
deficientibus aliis, Confessor remedium adhibere
tunc enim, secundum prædictas charitatis leges
debebit: quia extreme, in eo eventu, Respon-
det auxilio Confessoris.

Ex dictis similia, quæ contingere fortasse po-
tunt, facile decidentur.

